

Non ex verbis Aristotelis hoc sumimus, sed ex re ipsa, ipso Aristotele et Platone potiore. Fassus erat 1. Sapientiae capite ultimo:<sup>35</sup> *Quamquam omnis disciplina per praecognita vel omnia vel quaedam est atque vel per demonstrationem vel per definitiones.* Sed  
 5 disciplinam μάθησιν non scientiam ἐπιστήμην dixit, sed per demonstrationem, quae in rerum natura non sit, nulla sit scientia seu disciplina. Relinquitur eas ex sua quoque sententia per definitionem fieri. Non potuit ille quidem tot locis Platoni verissimis laudibus rectam definitionem concutere, sed inventum  
 10 suum, demonstrationem nomine multam ac celebrem, re nullam illi praetulit, ut sese praeceptor, quo semper studio latus est, hac quoque in re praeferret.

Sed largiamur Aristoteli et suam demonstrationem reperiri et maximum eius in scientiis usum esse: ultra tandem potior?

15 **Demonstratio quid** [in margine]

Demonstratio syllogismus est ἐπισημονικός, *scire faciens*. Scientiam facit, quando per causam inesse ostendit propriam passionem subiecto alicui. Definitio scientiam facit essentiae cuiusque rei. Utra dignitate praestantior, essentia ne an passio,  
 20 cum illa per se, haec non nisi in illa existat? Utra natura prior?

Definitio omnibus entibus inservit: demonstratio nullis aliis quam passionibus neque his omnibus, sed propriis. Definitio paucis verbis unica affirmatione conficitur et perficitur. Demonstratio non nisi syllogismo, opera maiore scilicet et eo non quo-  
 25 libet, sed qui difficillimis et inventu et cognitu propositionibus conficiatur. Si quis tam caecus fuerit, qui quatuor hisce definitio-

<sup>35</sup> καίτοι πᾶσα μάθησις διὰ προγινωσκομένων ἢ πάντων, ἢ τινῶν ἐστί, καὶ ἢ δι' ἀποδείξεως καὶ ἢ δι' ὀρισμῶν. [ARIST. *Metaph.* 992b.30 – 32]